



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1687**

Philippica 47. in inconstantes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

est, inquit Scriptura 4. Reg. 25. in anno nono regni ejus, in mense decimo, in decima die mensis venit Nabuchodonosor Rex Babylo-, nis ipse, & omnis exercitus ejus in Jerusalé, & circumdederunt eam, & extruxerunt in circuitu ejus mutationes. poterat Deus statim à die, primo ipsos tradere, sed propterea intra annorum tempus contem- ri permittit, & ipsos obsidione premi gravissimâ, ut & militum extrinsecus timore, & fame civitatem intrinsecus premete castigati, vel invitum Regem barbaris subdi- cogent, & aliquid prætereâ reme- dij fieri. implacabilis est enim Deus contemptis juramentis. Hæc Chrysofomus, qui cum fusè cladem urbis & excæcationem Regis descripsisset, sic concludit: *fra- tres igitur hoc scientes ab hoc stulta consuetudine jurandi cessemus, sic, supplico & oro omnes.*

& immania perjuris parata supplicia ob oculos ponam. Increpare ergo cum pro rei dignitate, imò indignitate hujusce sceleris non possum, obsecro & cum Augustino ac Chrysofomo singulos obtestor: *laborare debetis & configere adversus consuetudinem vestram malam, malam inquã & valde malam, & tollere jurationem, imò perjuriam de omnibus vestris, pejerare enim immane peccatum, & totius exitij principium est.* Adjuro proinde ego vos per Deum vivum ac verum, qui est testis fidelis ac verax, & per diem adventus ejus, in quo stabitis ad reddendam cujuslibet verbi otiosi, quantò magis perjurij rationem, ex hac die, hora, momento ab omni perjurij specie cavete, veritatem simplicem diligite, mori quàm jurare eligite, rectè loqui discite, ite.

S. Aug.  
ferm. 11.  
de decoll.  
Joan. Bap.

§. II.  
Perjuri-  
um est to-  
tus exitij  
principiũ.

Deficiunt hic me verba & vox & latera, quibus in inveteratam pejerandi consuetudinem invehar,

\* \* \*  
\* \* \*



# PHILIPPICA XLVII.

In Inconstantes.

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Jericho. Luc. 10. v. 30.

§. I.  
Homo  
descen-  
dens in Je-  
richo sig-  
nificat in-  
constantẽ.

**D**Er hominem Hierosolymâ in Jericho peregrè abeuntem ego mihi hominem levem & inconstantem interpretor, qui ex urbe Solis in domum lune (hoc enim nomen Jericho interpretante Hieronymo sonat) ex visione pacis in martium discordiæ campum, ex virtute in vitium, ex via salutis re-

gia, in damnationis labyrinthum, ex cœlo in cœnum, ex semita divinorum mandatorum, in devium noxiæ libertatis, ex paradiso in abyssum, ex loco sinceræ voluptatis in lacum obscœnitatis declinat. dignus proinde vocari homo ille, de quo Job. *nunquam in eodem statu permanet*, semper alius, nunquam idem. Hominem hunc depingens Siracides, cornua eidem stultitiæ *ap-*

Job. 14. v. 2

Eccl. 27. v. 12.

Ii

ap-

apponit, & Lunæ comparat: *stultus ut Luna mutatur*. plenam si hodie spectes lunam, nè talem post dies octo expecta, corniculatam enim habebis, aliãque semper, pallidam modò in secuturæ pluvie indicium, modò rubicundam in ventorum imminentium prognosticon, aliquando candidam, in tesseram serenitatis videbis. *stultus sicut luna*, nunc pallet & plorat, mox rubet & furit, momento citius albicat & blanditur, nunquam autem non mentitur. Notus est Cleobuli apologus apud Plutarchum in convivio sapientum de luna postulante congruentè à matre tunicam, cui mater: quomodo cõvenientem tibi texam tunicam quæ modo plena, mox corniculata, paulòque post femiplena compares? tu tibi constes velim, & habebis quod desideras. *stultus sicut luna mutatur*. unde quisquis in Jericho in domum lunæ pergit, stultus est, lunaticus est. Contra ejusmodi lunaticos hodierno sole acturus opto, ut omnes sint *hodierni*, nemo *crastinus*, repetat de singulis auditoribus meis ex vero Ecclesiasticus: *homo sensatus in sapientia manet sicut sol, nam stultus ut luna*.

§. 2.  
Inconstantes cõparantur à Paulo parvulis.

Qui fratrem suum contumeliosè inconstantem vocat, reum summi judicij, quod Synedrion appellatur, reum inquam sese facit juxtà effatum æternæ Veritatis: *qui autem dixerit fratri suo Raca, reus erit concilio*. *Raca* idem est Divo Hieronymo, quod *homo levis*, si ergò reus est concilio, qui levem vocat, quo putas dignus judicio & supplicio, qui reverà levis est, & nisi scapham non scapham vocare velimus, inconstans omninò debet appellari. ò leviculi! ò Jerichuntini ambulones! ò varij sempèrque mutabiles homunciones! quo ego vos nomine compellabo, ut ve-

stram vivaciter exprimam ignominiam. nimis parum dixero, si cum Paulo parvulos fluctuantes & circumferibiles omni vento appellitem. *Jam non simus parvuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ*. videmus parvulos nunc concupiscere, quod paulò antè averfati fuerant, modò averfari quod nuper cum lachrymis concupierant. Videmus risum dicto citius mutari in fletum, lachrymas quandoque vel pomuli aspectu exsiccare. videmus nunc huc, nunc illac gestire & gestari velle, constantèrque in eorum animis fluctuare inconstantiam, ò parvuli fluctuantes. *usquequò levi corde diligitis vanitatem, & queritis mendacium?* quamdiu crepundia & bullas & prætextas concupiscitis, neque pudet centenarios pueros vocari? constantia viros, inconstantia pueros facit.

Severius Paulo Judas Thaddæus in inconstantes invehitur, comparatque nubibus aquà destitutis, quæ ventorum sunt ludibrium; arboribus itidem autumnalibus, quos venti folijs & residuis forte fructibus spoliant, fluctibus præterea marinis nunquam quietis, sed jactari continuo solis, stellis denique erraticis, quæ tramitem semper mutant, ita ut nunquam eodem loco orientur & occidant. *nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, fluctus feri maris, sidera errantia*. inscribamus hiscè sideribus: *errando occidimus*. istis fluctibus: *sumus ubi non sumus*. illis arboribus: *instat hyems*. ipsis nubibus: *quo nos fert impetus, imò sic evanesCIMUS. hæc nostra ruina est*. vestra, vestra hæc est ò inconstantes certissima, constantissimaque ruina! inter erratica sidera cogita Luciferum, inter nubes steriles Saulena semper mobilem & varium, inter arbores autumnales, & bis mortuas Ju-

Eph. 4. 7.  
14.

§. 3.  
Comparantur idè à Thaddæo nubibus, arboribus.

S. jud. ep.  
v. 13.

Ju-

Judam proditorē, inter fluctus feri maris Pharaonem toties foedifragū, ideoque in sicco profundissimi maris naufragum, exclamabo nunc Evangelico ex oraculo: *omnes similiter peribitis, nisi penitentia egeritis.*

Luc. 13. v. 3. & 5.

§. 4. Ab ipso met Christo arundinibus.

Habemus Pauli & Thaddæi de inconstantibus sensum, quod si ipsi usmet incarnatæ Sapientia scrutemur suffragium, audiemus eosdem dici *arundinem vento agitatam* Matthæi II. *quid per arundinem nisi carnalis animus designatur*, Gregorium Magnum recito homil. 6. in Evang. *qui mox ut favore & detractione tangitur, statim in partem quamlibet inclinatur.* Similiter ex Græcis Divus Chrysostomus homil. 27. in Matthæi: *sicut calamus vacuus est, & nullam habet virtutem & ideo qualis ventus flaverit super eum, huc & illuc flectitur, sic & homo carnalis & secularis, in quo nulla est medulla fidei, & virtus veritatis non invenitur, qualiscunque tentatio venerit super eum, curvat eum.* abundat verò similibus arundinibus adeò mundus, ut quantus, quantus est, merum dici possit arundinerum, in Angliam solummodo digitum liceat intendere & arundines mirari. Henricum VIII. nescio quis levitatis Spiritus agitavit, nescio quæ vanitatis aura afflavit, nescio quæ Megæra vel Medæa ex cedro in arundinem transformavit, ut qui antea Romanæ fidei defensor singulari titulo audiebat, ejusdem mox proditor fieret & persecutor, similis illi arundini, quâ caput Salvatoris in passione fuerat percussum. certè certè quàm gravi verberè levicula hæc arundo percusserit Christi Sponsam, ex eo patet, quod trecenta septuaginta sex cœnobia destructa sint, & intrâ anni unius circulum decem millia templorum expilata, profanata, diruta, unde Poëta celebris:

*Millia dena unus templorum  
fustulit annus.*

*Quàm timeo! in penas vix  
satis unus erit.*

quâ tempestate plusquam decem millia utriusque sexus cœnobarum in cœnum sæculi, verè de Jerusalem in Jericho abierunt, & moniales vela sua Notis imò & Nothis dedere, de quibus omnibus illud Imperfecti repeti poterat: *homo carnalis fatuus in fide, levis in sensu arundo est.* Scandalizavit, si fas est dicere, Angliam Germania, quæ priscâ fide & pietate relicta, geminis quibus innitebatur columnis, veritate & concordia, prostratis cœpit arundini inniti, imo in arundinem mutari, suoque vicinas regiones scandalo in parem detrahere levitatem.

O quot hodiè que in Germania arundines, sive religionem, sive mores quoque ac amores spectemus, ad omnem flexibiles auram, ad omnem mobiles fortunæ varietatem. Ingeniosa Poëtarum refert fabula, quam Metamorph. I. Naso recitat, magno Faunorum Deo Pani in desiderijs & delicijs fuisse Najadū pulcherrimam Syringem, quam dum ille insequitur, jam jamque apprehendere se credit, pro Virgine tenet arundinem, in quam videlicet momento Syrinx fuerat transformata. Extra fabulam est Sponsam animarum nostrarum Iesum amore infinito nos prosequi, & fugientes insequi, quærere & salvas facere errantes nymphas suas, animas nostras, verum cum eas assequitur, stringit, amplexatur, ecce in vanissimas arundines propter ingenitam inconstantiam transformamur. vix enim commissa deservimus, deslenda rursus committimus; vix templo pedem extulimus, extemplo in pristinum volutabrum revertimur; vix Sacramentum Deo

§. 5. Enormis est nostra in constantia cui diabolus plurimum confidit.

diximus, & datam mox fidem eju-  
 ramus; vix Jerosolymæ ped. in in-  
 tulimus, & jam de reditu in Jericho  
 cogitamus, & pristina animæ cor-  
 porisque pericula molimur. ò ar-  
 undinibus omnibus leviores ani-  
 mas! ò vento mutabiliores men-  
 tes! ò insensata nostra studia & in-  
 fascinata desideria! sedet interea  
 in medio arundinum illusor dia-  
 bolus, & fistulas, ut proverbio di-  
 cimus, sibi scindit, efformatque,  
 quibus nostram explodat & exfi-  
 skulet levitatem. Parum illum an-  
 git poenitudo nostra & iterata Sy-  
 naxis, & suscepta jejunia, & ex-  
 ceptum auribus, Verbum Dei &  
 mille alia pietatis opera exercita, si  
 de constantia nostra subdubitare,  
 & securæ mutabilitatis spem ali-  
 quam possit concipere. Concipit  
 verò de quocunque etiam sanctis-  
 simo homine quamdiu viator est  
 tam securè, ut ipsummet Dei Filium  
 post quadraginta dierum nocturnum-  
 que jejunium accedere tentandi  
 causâ præsumperit, ut si immuta-  
 bilem deprehendisset, ex hoc ipso  
 signo plus quàm hominem & An-  
 gelum esse certò resciret, si verò la-  
 befactare constantiam ejus valuis-  
 set, de cetero ab eodem sibi haud-  
 quaquam timeret. sensus iste D. Le-  
 onis est serm. 3. in quadrag. de ad-  
 versario nostro sic loquentis; *vide-  
 rat (diabolus) superbiam suam ba-  
 ptizati Domini Iesu humilitate calca-  
 tam, intellexerat quadraginta dierum  
 jejunio omnem cupiditatem carnis ex-  
 clusam, & tamen non desperavit de  
 artibus sue malitiæ spiritualis impro-  
 bitas. tantumque sibi de naturæ no-  
 stræ mutabilitate promisit, ut quem  
 verum experiebatur hominem, præ-  
 sumeret posse fieri peccatorem.*  
 Tanta nimirum nostra est inconstan-  
 tia, tanta de hac inconstantia no-  
 stri præfidentia inimici.

*Arund. nes, ait S. Ambrosius in*

*c. 7. Luc. flu. vios amant, & nos la-  
 bentiam mundi caducæque delectant, ha-  
 bet arundo radicem in limo, quid  
 mirum, si non subsistat. infixus sum  
 in limo profundi ps. 62. & non est sub-  
 stantia, nulla fortitudo & virtus.  
 moveri solet arundo in aqua, & sæ-  
 culares in voluptatibus suis ad om-  
 nem ventorum motum, id est,  
 immundorum spirituum flatum va-  
 gantes, ut habet S. Hilarius hic. Pli-  
 nius lib. 16. c. 36. testis est, quod a-  
 rundo Indica bifariè secta navis vi-  
 cem subeat, fluitare pergat, & insta-  
 bilitatem in aquis non deperdat.  
 Elegans symbolum Inconstantiæ. Hi-  
 eronymus Lanuza homil. 37. n. 73.  
 quærit, cur vir consilij Simon r. Ma-  
 chab. c. 13. in mausolæo patris & fra-  
 trum, naves super columnas collo-  
 carit? ut ostenderet fratres suos na-  
 vigij in morem varijs adversitatum  
 turbinibus jactatos instar tamenco-  
 lumnarum constituisse, ut ergò ho-  
 mo, qui est fragilior omni arundi-  
 ne, fiat stabilior omni columnâ, so-  
 lidior scipione, robustior clavo,  
 accipiat in manum arundinè Chri-  
 sti, quæ confirmat mobilia, consoli-  
 dat infirma, corroborat fragilia.  
 homo rixus mundi inconstantiâ,  
 fretus opum copiâ, fultus honoris  
 aurâ fluctuat, & nihil habet stabile  
 præter solam instabilitatem, ideò  
 que vel odio dirigitur, vel gratiâ in-  
 flectitur, vel aliorum mendacio de-  
 pravatur S. Ambrosius Ser. 2. at si  
 dextera Dei nos teneat, si manus  
 Christi apprehendat, firmamur te-  
 ste Ludolpho & Hilario in c. 27. Mat-  
 th: idcirco Dominus noster arundi-  
 nem in dextera tenere voluit, ut per  
 hoc ostenderet, se nos fragiles, vacuos,  
 & infirmos manu tenere, & omnibus  
 bonis implere. Plus hæc arundo va-  
 lebit quàm bacul' Eliæ, Virga Moy-  
 sis, clava seu mandibula Samsonis,  
 gladius Gedeonis. in manu tua vir-  
 tus & potentia r. paral. 29. & non est  
 qui*

qui de manu tua possit eruere. Deu-  
teron. 32.

§. 7.  
Cur aves  
in arundi-  
ne non ni-  
dificent.

Ingeniosum Abstemij (fabula  
155.) est commentum de arundine,  
quam fingit ægrè tulisse, quòd ce-  
teræ, non tantum arbores, sed &  
herbæ quandoque nidos avium su-  
stineant, ipsa verò ab omni pror-  
sus pennigero grege honore isto  
privetur. Rogavit proinde avicu-  
larum nescio quam, honorem hunc  
sibi deferre, nidulumque construe-  
re non dedignetur, cui illa si sta-  
bilem te fore promittis, nec euili-  
bet cessurâ auræ, faxo libens quod  
precaris; sin minus, nolo domum  
filiorum meorum in fundamento  
tam instabili collocare. ò dictum be-  
ne! non sperent instabiles dulcem  
Angelorû quasi volucrum cœlesti-  
um præsentiam & comorationem,  
inter arundines enim diabolica ag-  
mina vagantur, de quibus sacer ex-  
orcista canit: *inrepaferas arundi-  
nis* ps. 67. v. 31. neque dulces vir-  
tutum fructus expectent, solida e-  
nim amatur ædificia, diuturna non  
fluida & diurna, quale fuit illud Jonæ  
sub hedera, aut foret aviculæ ni-  
dus in arundine; unde si sapientia  
incarnata stultû appellavit homi-  
nem, qui domum suam ædificavit  
super arenam, quanto magis stultif-  
simum censebit illum, qui perfe-  
ctionis & felicitatis suæ ædificium  
super arundinem fundabit.

§. 8.  
Ab arun-  
dine passio  
animum  
est letus.

Matth. 27.  
v. 30. & 48.

Inter passionis Dominicæ in-  
strumenta arundinem cernimus,  
quâ caput Salvatoris verberatum,  
& manus de honestatæ, fortè &  
spongia aceto plena, eidem impo-  
sita, orique sitientis Iesu fuit propi-  
nata teste Evangelistâ: *acceperunt a-  
rundinem, & percutiebant caput e-  
jus, iterumque: & continuo currens  
unus ex eis, acceptam spongiam im-  
plevit aceto, & imposuit arundini, &  
dabat ei bibere.* heu! quot usibus in-  
servit arundo vexando, excarnifi-

candoque Redemptori! nimirum  
ad omne flagitium fictus & factus  
est, qui arundinis instar inconstans  
est. Verum utetur hac Iesus arundi-  
ne in calamum inque Sagittam ad  
scribendam damnationis sententi-  
am, & configendas inconstantium  
hominum linguas, & corda lethali  
vulnere faucianda. aptissimè Lu-  
dolphus Saxo p. 2. c. 6. de vita Chri-  
sti scripsit: *arundo si ve calamus est in-  
strumentum scribendi, & idcirco se-  
cundum Hieronymum Christus cala-  
mum in manu tenere voluit, ut sacri-  
legium judæorum scriberet, & osten-  
deret se illum esse, qui electos suos  
scriberet in libro vitæ, reprobos  
contrâ in atro registro præcitorum.  
Nec scribendi tantum instru-  
mentum est, sed etiam sagittâdi iux-  
tâ illud Æn. 4. heret lateri lethalis  
arundo.* in lateribus aquilonis, imò  
in centro terræ hærebitis ò incon-  
stantes, tanquam lethales arundi-  
nes, quia & vobis & alijs lethum  
constanti noxâ, noxiâ inconstantia  
intulistis.

S. Hiero-  
nym. in c.  
27. Matth.

Sed quid ego inter arundines,  
tam diu immoror? plures super sunt  
similitudines, quibus inconstanti-  
um genus ad vivum expingatur.  
Invenio illas apud Pierium Valer.  
lib. 32. ubi cancris æquiparantur,  
quia sicut hi nunc ante nunc retro,  
nunc in transversum gradiuntur,  
mirâque viam suam traducunt in-  
constantia, ita & illi nunc risui in-  
dulgent, nunc luctui, modò auste-  
ritati, atque temperantiæ se red-  
dunt, modò delicijs affluunt & vo-  
luptatibus implicantur. Plinius lib.  
3. c. 2. & Herodotus lib. 4. incon-  
stantes lacui Trogloditarum con-  
ferunt, qui ter de die amarum & sal-  
sus, ter iterum dulcis efficitur, to-  
tiæque etiam nocte, unde & insa-  
nus appellatur, sic quidam inæ-  
quales, nunc blandi mox asperi,  
aliquando profusi mox sordidi,  
Ii 3 jam

§. 9.  
Incon-  
stantes si-  
miles can-  
cris Lacui  
Troglodi-  
tico, Euri-  
po.

jam vehementer amoeni jam supra modum oderunt. Inconstanti apud græcos nomen Euripistis datum est, fuitque ab Æschine subinde objectum Demostheni, quod Euripum ipsum inconstantiâ suâ vicisset. Euripus autem in Eubœa septies de die defluit, totiesque celeritate mirâ refluit. Marcus Cicero ex Homero Chimæras nuncupat, Aristophanes trochos, Diogenes campos ventorum, Seneca pilas fortunæ, Zonaras tesserâ mutabiliores, cothurno aut pileo Mimi forensis versatiliores, vertumno leviores, verissimū est illud Senecæ in proverbij: *maximum signum malæ mentis est fluctuatio.*

Senec. lib. 5. c. 8.

Greg. Nazianz. ora. in Julian.

Profanis addamus sacros Ecclesiæ Doctores Nazianzenum, Basilium, Tertullianum. Nazianzenus Theologus in primis Chamæleonti illos comparat: *quemadmodum enim Chamæleontem facili serunt variari, omnesque assumere colores, præter candidum, ut interim fabulosum illum Proteum Ægyptium Sophistam mittam, ita illi omnia præterquam constantes sunt.* Basilus Magnus inconstantes polypis confert: *non silebo, inquit ille, polypios & furacitatem. is cuicumque saxo adhæserit, illius colorem subit, atque adeo ut piscium complures ad ipsum de improviso nantes tanquam ad Saxum appellent, paratamque se illi prædam offerant. tales sunt (omnes de tribu Levi seu inconstantium) qui sobrietatem cum sobrijs laudant, intemperantes sunt cum intemperantibus, atque ad id, quod cuique placet suam omnino sententiam vertunt.* non dubitemus ejusmodi polypos adhærere lapidi offensionis & petrae scandali, imò totos mutari & obdurari in petram, ut sint constantes in inconstantiâ, obdurati in malitia, à sua immobiles levitate. Denique Tertullianus de pall. sic Lu-

*na mutationibus mensuris variat: sic & mari fides infamis, sic & terram recenseas temporatim vestiri, viridem conspicias? flavam mox visurus & canam, an non terræ filij, maris alumni, toti lunatici, qui ipsam lunam, terram, aquam mutabilitate superant?*

Finio à qua cœperam parabola, iterumque digitos, oculos, linguam in hominem illum intendo, qui ex Jerusalem in Jericho descendebat, descendebat inquam, omnis enim inconstans de vitio in vitium descendit, quia de virtute in virtutem ascenditur, donec videatur Deus Deorum in Sion, de vitio autem in vitium descenditur, donec in suæ centrum infelicitatis & æternæ punctum damnationis devolvatur. Descendenti ad sunt mox suis è latibulis latrones innumeri, qui sicut in cœlo Deum gloriâ suâ spoliare conati sunt, ita imaginem Dei, hominem inquam in suas delapsam manus denudare pretiosis animæ vestimentis, stolâ videlicet justitiæ, cingulo castimonie, interulâ charitatis, calceamentis fidei, & cæteris virtutum ornamentis conituntur. Despoliatum verò virtutum habitu varijs usque gravissimis vulneribus afficiunt, neque enim facile est illis, à Titus Bostrensis lethalia vulnera prius alicui inferre, quam virtutum præsidis & munimentis ipsum despoliarint. at ubi primum virtutum arma abstulerunt, statim citrà intermissionem cædunt & sæviunt, sauciant enim verò à planta pedis ad verticem capitis, pigritiâ in pedibus, torpore in genibus, gula in ventre, incontinentiâ in lumbis, tristitiâ in pectore, avaritiâ in manibus, tenacitate in digitis, maledicentiâ in ore, invidentiâ in oculis, impudentiâ in fronte, superbiâ in capite, donec unum sint omnia vulnus. Nec contenti semel sauciâsse,

§. 10.  
Evangeli-  
lij hodie-  
ni parabo-  
la inconstan-  
tibus applicatur

se, ingeminant ictus, renovantque continuo vulnere, cum ad nova de die in diem stimulat scelera, dum semivivum, libero videlicet arbitrio adhuc præditum, sed consuetudine delinquendi nimium quantum debilitatum deserant, deque præda securi recedant. Quodsi Sacerdotes & Levitas, confessarios & Prædicatores in ejusmodi Jerichuntinum viatorem, inconstantem homuncionem incidere contingat, nihil morantur, sed ocyus prætereunt; quia oleum & operam sese perdituros ominantur, illoque Pauli semet tueratur: *impossibile est eos, qui prolapsi sunt, revocari ad penitenti-*

Heb. 6. v. 6.

am. nimirum tam difficile est hominem inconstantem ad semitam virtutis, ad sanitatem mentis, ad terminum salutis adducere, ut ordinarijs cum auxilijs id ipsum impossibile censeatur. ostendite o inconstantes, o Jerichuntini ambulones me hallucinatum fuisse, ostendite inquam ex inconstantibus vos constantes redisse, revocabo & ego verbum, percutiam os meum, & canam palinodiam.

\* \* \*  
\* \* \*  
\* \* \*



# PHILIPPICA XLIIIX.

In Ingratos.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

*Non est inventus, qui rediret. Luc. 17. v. 18.*

§. 1.  
Rarus in mundo est qui sit gratus.

**R**ara avis in terris al-  
boque simillima corvo  
gratus homo est, imò  
mille citius corvos al-  
bos, quam unicum  
solidæ gratitudinis  
hominem reperias. *non est inventus qui rediret* ad dandam Deo pro acceptis beneficijs gloriam, ad referendam Deo homini pro impensis obsequijs gratiam, ad exercendam virtutum omnium sanctissimam *non est inventus* discipulus, cliens, patiens, poenitens, qui rediret ad Magistrum, Patronum, Medicum, Patrem Spiritus debita gratiarum actione demerendum. Corvinæ indolis sumus, corvo illi persimiles, qui ex Arca à Noëmo dimissus *egrediebatur, & non revertebatur* Gen. 8. v. 7. reverti videlicet ad liberatorem nostrum cum olivæ ramusculo

nolumus, quasi libertati decedat, si verbo factove gratæ mentis memoriam contestemur. Et quamvis corvus subinde ad arcæ tectum quietis gratiâ redierit, juxta versionem hebraicam: *egrediebatur corvus exeundo, & redeundo*; ad Noëmum tamen in ipsam arcam ait Cornelius non revertebatur. Præferebat corvus illos, qui domum frequentant alicujus, inquit Oleaster in c. 8. Genes. quamdiu opus habent; cum verò quæ sibi sunt necessaria acquirunt, neminem noverunt. Proverbium olim jactatum, hodièque verum manet: *Nemo bene merito bovem immolavit præter Pyrrhiam*, hic enim cum fortè fortunâ littus perambulans piraticam, in eaque feniculum captivum aspexisset, precibus captivi, & commiseratione motus, redemit mancipium, & hujus

Plut. 99.  
moral. p. 1.  
Num. 34.